

nem, peccatorumque reconciliationem unice pertinebant. Neque 4. per eadem tempora distinctio occurrit inter delicta mere Ecclesiastica, et Civilia; ita ut de illis in foro interno, de istis vero in externo Episcopus cognosceret: sed in utraque aequie inquirebat, in delinquentes legitimis penis animadvertingo ad eorundem emendationem, et publici scandali averruncationem. Unde 5. quod quis in foro seculari de aliquo crimine convictus civili pena multatus esset, id impedimento non erat, cur ab Episcopo ecclesiasticis penis non puniretur: quum non unus, idemque fori Ecclesiastici, et civilis finis esset. Vetus enim Ecclesiae disciplina Penitentiam ut medicinam considerabat, peccatorem ut aegrotum: quem Episcopi punitum quidem propter crimen pena Civili censebant, non autem sanatum. Christiana tantum penitentia eum vere sanare, ac vulnera per peccatum inficta obducere credebatur. Vides Morinum *ibidem*, et *Lib. VII. cap. 5.*

V. Jam vero circa seculum XII. inducto fori interni ab externo, et contentioso discrimine, strepitique forensi in Episcopale tribunal invecto, ob generalem illam modo explicatam Episcoporum in omnia crima jurisdictionem, omnes etiam civiles Laicorum caussas, in quibus de peccato aliqua videretur esse questio, ad suum contentiosum forum Episcopi pertrahere adressi sunt: *Cap. 13. de Judiciis*; et quidem ea de ratione, quam in *idem Caput* indicat *Glossa*: scilicet *Tanquam ratione peccati, et inducendo ad penitentiam.*

VI. Quum vero temporis progressu in Tribunali Ecclesiastico de criminibus, non amplius ratione Sacramentali ab Episcopis, vel eorum Officialibus cognoscetur, neque poenae canonicae per modum medicinæ spiritualis infligerentur, sed methodo omnino forensi, et ad vindictam pecuniariam, vel corporalem; hinc pedetentim à Principibus secularibus ejusmodi recens inducta Episcopalis jurisdictione decurtata est, scilicet, ut reservata foro Ecclesiastico Sacramentali peccati confessione, et absolutione à Sacerdote virtute clavium obtainenda; tum et Clericorum caussis, merisque etiam Laicorum Ecclesiasticis delictis foro Episcopali attributis, reliquæ civiles, ac criminales Laicorum caussæ, atque etiam peculiaria quædam Clericorum delicta foro seculari adscripta sint: id quod latè *Tit. V. et VI. hoc Lib. explicavimus.*

VII. Igitur ex nova Ecclesiae disciplina crima trifaria dispescuntur, scilicet ut alia sint mere Ecclesiastica, alia Civilia, et alia Mixta. Primi generis sunt, quæ admittuntur contra Fidem, Religionem, Sacraenta, easque morum regulas, quas jus civile non curat, uti Hæresis, Apostasia, Schisma, Profanatio Sacramentorum &c. Civilia sunt, quæ adficiunt Remp. uti Homicidium, Furtum, Rapina &c. Mixta vero, quæ tam Religionem, quam Remp. offendunt, uti Sacilegium, Adulterium, Blasphemia non hæreticallis &c. Porro Ecclesiasticorum criminum solus Ecclesiasticus Judex cognitionem habet, civilium Judex civilis, mixtorum vero uterque per præventionem: *Cap. 8. de Foro Competenti.* Nos præcipuas tantum hic criminum Ecclesiasticorum species recensemus, ac pro instituti nostri modo enarrabimus, tum quoque penas eadem comitentes indicabimus.

#### CAPUT DECIMUM SEXTUM.

##### DE DELICTIS ECCLESIASTICIS SPECIATIM.

###### *De Hæresi.*

I. A *Hæresis* est à Græco verbo, quod forte primaria sua notione denotat *eligo*. Unde *hæresis* idem est ac *electio*: et speciatim *electio dogmatis*, atque ipsum

*dogma*. Unde Cicero de Catone Stoico: *Est in ea hæresi, inquit, quæ nullum sequitur orationis florem. Christianis hæresis est dogma adversans principiis religionis christianaæ.* Nam horum tantummodo habitus efficit Christianum: at conclusionum habitus non simpliciter Christianum, sed Theologum efficit. Vossius in voce *Hæreo*.

II. Hæresis definiri potest: *Voluntarius error intellectus in Fide, cum pertinacia voluntatis.* Ut igitur quis hæreticus dici possit, satis non est, ut errorem aliquem evomat, sed necessum est, ut falso alicui sententia, sive falso dogmati, quod Christianæ fidei contraire noverit, sciens, prudensque adhæreat. Illustra hujus rei exemplum habemus in controversia de validitate Baptismi ab hæreticis collati, quæ medio saeculo III. in Ecclesia exarsit inter S. Cyprianum, ac Firmilianum, et S. Stephanum Rom. Pontificem. Cyprianus enim, et Firmilianus cum suis Episcopis, etiam in Synodis coactis, mordicus defendebant, baptismum ab hæreticis collatum esse invalidum, ac proinde eos, qui foris tincti, hoc est baptizati essent, et apud Hæreticos Schismaticos profanæ aquæ labe, ut inquietabat, maculati essent, quando ad Catholicos, atque ad Ecclesiam, quæ una est, venerint, baptizandos esse. Atqui Cyprianus, Firmilianus, aliqui ita sentientes nunquam, ut hæretici, in Ecclesia audierunt. Licet enim sententiam tuerentur divinæ, ac Apostolicæ Traditioni contrariam, attamen, quia Catholicæ Ecclesia nondum in ea controversia definierat, quid Apostolica haberet Traditione, quidque ex Traditione illa tenendum, et credendum esset, ab omni hæreseos, ac schismatis labe imunes eos fuisse nullus unquam vel subdubitavit. Ad rem S. Augustinus de Cypriano *Lib. I. de Unico Baptismo cap. 18.* *Quod ergo ille vir Sanctus de Baptismo aliter sentiens, quam se res habebat, quæ postea pertractata, et diligentissima consideratione firmata est, in catholicæ unitate permansit, et charitatis ubertate compensatum est, et passionis falce purgatum.*

III. Nemo ut hæreticus damnandus, nisi qui manifesto aliquo externo signo semet hæreticum prodat ex Leg. Arcadii *XXX. Cod. Theod. de Hæreticis.* Et Leg. *XXVIII. Cod. Theod. eodem Tit.* ii inflictis contra hæreticos penis obnoxii declarantur, qui vel levi argumento a judicio Catholicæ religionis, et tramite detecti fuerint deviare. Haud raro enim usuvenit, ut quis, licet alioquin maximè Catholicus, tanquam hæreticus habeatur ex falso dumtaxat rumore, ac vagis, inertisque accusationibus. Quia in re antiquitus viri etiam sanctitate, ac doctrina clarissimi decepti sunt, uti S. Epiphanius, qui in S. Jo. Chrysostomum non modò male animatus vehementer fuit; verum et cum ipso communicare noluit, quod ut hæreticos non exhorruit, quos ipse errore præventus hæresi dampnaverat: *quum Chrysostomus ante causam cognitionem hæc facere haudquam justum esse diceret:* Sozomenus *Lib. VIII. cap. 14.*

IV. Quod vero in modo indicata Lege Arcadius dicit, *vel levi argumento*, nemmo indè inferat vel levem hæreseos suspicionem penis sive ecclesiasticis, sive imperialibus aliquem obnoxium reddere. Namque uti erudite demonstrat Jo. Gothofredus in eandem legem, *Argumentum ibi non levem suspicionem, non conjecturam*, non indicium nudum significat; neque *certam probationem*, rationemque rei dubiæ fidem facientem: sed quacunque propositionem, titulum, fideique articulum denotat. Ac proinde illa *vel levi argumento* jungenda sunt non cum voce *detecti*, verum cum voce *deviare*. Unde jam manifestum levi argumento deviare à judicio Catholicæ Religionis, et tramite, idem valere, atque deviare *vel in levissimo articulo*, et propositione fidei, et hæreticam propositionem tueri, quantumcunque ea levis videatur. Igitur verba illa *vel levi* pertinent non ad levitatem

probationis, sed ad apparentem rei, et propositionis levitatem. Nempe quamlibet levis exerratio sit, in rebus fidei hæresis est. Tum ex eadem lege requiritur, ut quis detectus fuerit de Catholicæ Religionis tramite deviare. Namque, ut docet S. Thomas Secunda Secundæ Quæst. XI. art. 3. licet hæretici mereantur non solum ab Ecclesia per excommunicationem separari.... Ex parte autem Ecclesia est misericordia ad errantium conversionem: et ideo non statim condemnat, sed post primam, et secundam correptionem, ut Apostolus docet: postmodum autem si adhuc pertinax inveniatur, Ecclesia de ejus conversione non sperans, aliorum saluti providet eum ab Ecclesia separando, per excommunicationis sententiam.

V. Igitur levis de hæresi suspicio, scilicet ex pertenuibus indiciis, levibusque conjecturis exorta, hæreticum non constituit. (\*\*). Si quis tamen per jocum, aut levitatem animi verba adversus Ecclesiam, vel ejus dogmata proferat, secundum personæ qualitatem puniendus decernitur in Collect. Tarrac. Lib. V. Tit. VI. cap. 1. (\*) At verò ubi suspicio fuerit vehemens, scilicet quam plura, ac graviora effrant argumenta, satis caussæ est, cur in aliquem, tanquam in hæresecos suspectum, agatur. (\*\*). Quocirca Syn. Brac. I. Cap. XIV. alias Can. XXXI. excommunicandos voluit Clericos, qui olera cocta cum carnibus vel coacti prægustare nollent, eo quod vehemens indè exurgeret suspicio, eos esse Priscillianæ hæresis errore involutos. (\*) Unde etiam Syn. Trident. Sess. XXV. Ref. cap. 3. sanxit, ut excommunicatus quicunque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacraenta, et communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiat; sed si obdurato animo, censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tanquam de hæresi suspectum, procedi possit. (\*\*). Quæquidem doctrina desunita videtur ex Syn. Hispål. an. 1512. Cap. VIII. (\*) Sic quoque in sepelientes de industria hæreticos in loco sacro, tum et in hæreticorum fautores, receptatores, defensores, ac deum in eos, qui ob hæresecos suspicionem in judicium vocati contumaciter absint, excommunicatione animadvertendum decernitur in Cap. 2. t. 7. de Hæreticis in VI.

## ARTICULUS I.

## DE PÆNIS IN HÆRETICOS SANCITIS JURE CANONICO.

VI. Præcipua est excommunicatione, et quidem latæ sententiæ: Cap. 8. 9. et 15. de Hæreticis &c. Unde Canones æquè in antiquis, ac in recentioribus Conciliis adversus hæreticos constituti, anathemæ clauduntur in eos inflato, qui doctrinæ in iis contentæ sese opposuerint; (\*\*). præsertim in præf. Syn. Bracar. I. in fine, et Emeritensi. (\*) Et sanè ut loquitur S. Hieron. Comment. in Epist. ad Galat. Cap. V. v. 8. Secunda putridæ carnes, et scabiosum animal a caulis orium repellendum, ne tota domus, massa, et peccora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arius in Alexandria una scintilla fuit; sed quia non statim oppessa est, totum orbem ejus flamma populata est. Eandem pœnam, ut modo innuimus, subeunt etiam, qui hæreticos scienter in loco sacro tumulaverint, hæreticorum fautores, hospites, defensores &c. tum et qui cum hæreticis oraverint, sive in sacris ecommunicaverint: Can. XLIV. XLV. et LXIII. ex dictis Apost. Concil. Laodicens. Can. IX.

VII. Altera pœna est depositio, si Clerici fuerint, ab omni officio, et beneficio Ecclesiastico: Cap. 9. de Hæreticis. S. Cyprianus jam idem docuerat Epist. ad

Magnum: Decimus omnes omnino hæreticos, et schismaticos nihil habere potestatis, ac juris: (\*\*) et colligitur ex Syn. Cæsaraugust. II. Can. I. Unde in Concilio Tolet. I. Herenæ Episcopus una cum suis Clericis, aliisque Episcopis, à Sacerdotio deponitur, eo quod omnes Priscillianum tanquam sanctum martyrem conluerint. Videsis Sentent. Definit. ejusdem Concilii. (\*)

VIII. Tertia pœna est Irregularitas cum infamia, qua hæreticus ipso jure adficitur: Can. XVII. Causs. 6. Q. I. et Cap. 2. §. 2. de Hæreticis in VI. (\*\*) Quibus consonat Syn. Tolet. IV. Can. XIX. alias XVIII. (\*) Eaque irregularitas perdurat etiam postquam hæresim detestati in Ecclesiæ communionem redierint: Can. XX. Causs. 1. Q. VII. (\*\*) Expressius Syn. Illiberit. Can. LI. Ex omni hæresi si quis ad nos fidelis venerit, minime est ad Clerum promovendus, vel si qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponantur. (\*) Eadem pœna obnoxia quoque sunt hæreticorum fautores, defensores, receptatores, tum et eorumdem filii, et quidem ad secundum gradum per paternam lineam; per maternam verò ad primum dumtaxat: Cap. 15. de Hæreticis in VI.

IX. His addesis 1. Hæreticis vetitum adversum aliquem fidelem in causa Ecclesiastica testimonium dicere: Can. Apostol. LXXIV. Codex Afric. Can. CXXIX. 2. Hæretici in loco sacro haud sepieliendi: Cap. 2. ibid. in VI. 3. Denique hæreticis haud permisum in paternam hæreditatem succedere: Codex African. Can. XXII. Quod jure etiam civili constitutum est: Leg. VII. IX. et XI. Cod. Theod. de Hæreticis.

## ARTICULUS II.

## DE PÆNIS IN HÆRETICOS SANCITIS JURE CIVILI.

X. Plures quoque pœnas piissimi Imperatores, ac Principes in hæreticos sanxerunt: ex quibus potiores hic dabimus. 1. Infamia notati, sive ut infames habendi; unde quoconque publico honorifico munere defungi vetantur, sive militare illud fuerit, sive civile: passim in Tit. de Hæreticis in utroque Codice. (\*\*) Eadem quoque infamia nota habendos esse hæreticos declaravit Reccesvithus Leg. II. Tit. II. Lib. XII. Fori Judic. Unde etiam Alphonsus Sap. Leg. IV. Tit. XXVI. Partit. VII. et Catholici Reges Leg. III. Tit. III. Lib. VIII. Nov. Recop. ineptos ad quocunque publicum munus obtinendum decreverunt reconciliatos, et eorum filios, qui ob hæresim à S. Inquisitione damnati sunt, usque ad secundam generationem paternam, et primam maternam; imò et ad Chirurgiæ, et Pharmacopeæ exercitia obeunda. Tum idem Alphonsus Leg. VIII. Tit. XVI. Partit. III. ad testimonium dicendum admittendos non esse, constituit. (\*)

2. Ipsiis interdicta tum facultas condendi testamentum, donationes constituendi, aliosque quosvis contractus ineundi, tum etiam jus ex testamento aliquid accipendi, donationesque capiendi: ibid. (\*\*) Jure quoque Hispano hæreticis denegata est testamenti factio activa nisi in favorem filiorum Catholicorum; et passiva ut in paternam hæreditatem succedere haud possint filii hæretici: Leg. VII. Tit. VII. Part. VI. et Leg. III. Tit. XXXVI. Partit. VII. (\*)

Unde 3. omnia hæreticorum bona fisco addicta: ibid. (\*\*) Hispaniarum etiam legibus hæretici publicatione honorum damnantur: Leg. II. Tit. II. Lib. XII. Fori Judic. et Leg. I. Tit. III. Lib. VIII. Nov. Recop. quam pœnam non evadunt fautores, receptatores, et occultatores hæreticorum: Leg. II. ejusdem. Tit. III. Lib. VIII. Nov. Recop. (\*)

4. Pœna mortis; idque ad exemplum eorum, qui crimen læse majestatis huma-

næ admiserunt: *ibid.* Insignis est hoc de capite Constitutio Friderici II. Imperat. cuius fragmenta habentur in *Cod. Just. Auth.* Si verè, et *Auth.* Crédentes de Hæreticis. In ea Imperator omnes ab Imperatoribus retro jam sanctitas in hæreticos pœnas cum firmat, tum etiam innovat, atque ad eorundem receptatores, lautores, et defensores exorrigit, ubi ecclesiastica censura notati infra annum non resipuerint: démùn hos atqué illos *bannitos* declarat: quā de re ut iidem mortis suppicio, quæ ordinaria bannitorum pœna est, adficerentur, decernere videtur. Quod idem Fridericus Imper. in Constit. Regni I. de Hæreticis, et Patarenis expressius edicit: *Præsentis nostræ legis edicto damnatos mortem pati Patarenos decernimus, quam affectant, ut vivi in conspectu populi comburantur.... credentes, et complices, et quoctunque modo fautores.... publicatis bonis omnibus relegandos in perpetuum esse censemus.* (\*\*) Insigne quoque habemus exemplum in Priscilliano, qui ab Hispanis Patribus non semel damnatus, neque ab exteris in communionem receptus, sententia tamen Enodii *Præfecti* capite damnatus est, ut refert Sulpitius Severus *Lib. II. Histor.* Quocirca in Cōnc. Tarrac. an. 1242. seculari Curiæ, ut vivi exurantur tradi jubentur Waldenses in errore persistentes iuxta *Leg. II. Tit. XXVI. Partit. VII.* (\*)

XI. Hæretici, qui suum errorem detestantur, et abjurant, tum Ecclesiæ reconciliantur, tum mortis poenam evadunt; at plerumque perpetuo carceris squalori mancipantur: *Cap. 15. §. unic. de Hæreticis*, (\*\*) et pref. Conc. Tarragon. Hodie tamen in Hispania post reconciliationem, et congruam peractam penitentiam, in exilium mittuntur, à quo si pro lubito redierint, capite plectendi sunt *ex Leg. II. Tit. III. Lib. VIII. Nov. Recop.* (\*) Excipe tamen in hæresim relapsos, quorum penitentia ceu ficta habetur: unde *sine ulla penitus audientia relinquendi sunt judicio sæculari* in *Cap. 4. eodem in VI.* cui adde *Cap. 8. eod. et Cap. 9. hoc Tit.* Verum deneganda iisdem non sunt Pœnitentiæ, et Eucharistiae Sacra-menta, *si postmodum pœniteant, et pœnitentiæ signa in eis adparuerint mani-festa.*

## ARTICULUS III

## DE SCHISMATE.

XII. Schisma haud quidem à verbo latino *scindo*, at verò à græco *scindere* scissura suam habet originem. Unde quodcumque peccatum, quo à Dei amicitia, omnisque excommunicatio, qua à fidelium communione separarimur laxius diei quodammodo Schisma posset. Verum hic strictius Schismatis vocabulum usurpamus, quo indicatur *Divisio*, qua quis seipsum ab Ecclesiæ Catholicæ communione separat: S. Thomas Secunda Secundæ Q. XXXIX. art. 1.

XIII. Duplex Schismatis species distingui potest. Particularis una, Universalis altera. Illa est, quum intestinum inter quosdam Episcopos exoriatur dissidium, ac voluntatum alienatio, salva tamen unione tum fidei, tum etiam cum universalis Ecclesiae Capite R. Pontifice eiusmodi fuisse videtur schisma IV. saeculo inter Orientales Episcopos excitatum ob controversiam, num una in Deo, num verò tres hypostases agnoscendae essent; (\*\*) et quod saeculo VI. excitatum est inter Hispanos, an tres in Baptismate mersiones, an una tantum adhibenda esset. (\*)

XIV. Universalis est, quum subjectio, et obedientia Rom. Pontifici denegatur, et sic quoque vinculum Ecclesiasticum cum Episcopis ei adherentibus solvitur.

Quum vero hic cum R. Pontifice universalem constituant Ecclesiam, hinc ejusmodi schisma dicitur discessus ab universali Ecclesia. *supap. collatione M. al. ZZ*

XV. Schisma non videtur posse haeresi carere: Papam enim supremum caput esse Ecclesiae, articulus fidei est, quem illi negant, qui schisma universale committunt. Adhac ex Hieron. in Cap. II. Epist. ad Titum, *Nullum schisma non aliquam sibi configit haeresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur:* ut exemplis Novatianorum, Donatistarum, Græcorum, aliorumque fuse demonstrat Gonzalezius in Cap. 2. de Schismaticis. Non ergo mirum, si Schismatici iisdem ferentur, ac haeretici penitus adfigantur: Can. XXXII. Causs. 24. Q. I.

## ARTICULUS IV.

## DE APOSTASIA.

XVI. Apostasia idem est, ac *Christianæ Religionis desertio*; quæ plerumque comitem habet transitum ad falsam aliquam sectam, uti Judaismum, Paganismum, Atheismum. Delictum sanè atrocissimum, atque hæresi longè gravius: hæresis enim aliquid dumtaxat negat fidei dogma; at Apostasia omnem prorsus fidem deserit: unde non omnis hæreticus est Apostata, omnis tamen Apostata est hæreticus: qua de re Apostatae iisdem plectuntur poenis, ac hæretici: (\*\*). Leg. IV. Tit. XXV. Partit. VII. et Leg. III. Tit. III. Lib. VIII. Novæ Recop. (\*).

XVII. Quum verò alii vel vi tormentorum deficerent, vel ab Ecclesiæ quidem communione avocarentur ad idololatriam non amplecterentur; alii verò ex adverso, et sponte Christianæ Religionis nuntium remitterent, et idololatria sese polluerent: hinc semper Ecclesia severius in hos, quam in illos animadvertere consuevit.

*Can. Illiberit. I. et XLVI. Cap. pen. et ult. de Apostatis.* Quinimmo his posterioris speciei Apostatis quidam antiqui Canones ad finem usque vitæ communione denegandam præcipiunt: modo indic. *Can. I. Illiberit.* Tum iisdem nonnisi in hora mortis reconciliationem impariendam decrevit Siricius P. *Epist. I. ad Hicmer. cap. 3.*

XVIII. Sunt quoque duas aliae species Apostasie laxiori sensu sic dictae: scilicet *Apostasia ab Ordine*, vel *a Religione*: quia nimis Clerici, vel Monachi, Professive Regulares habitum, vitamque Clericalem, vel religiosam deserunt, et ad vota secularia, vitamque laicalem transeunt. Ejusmodi Clericos, Monachosque Apostatas anathemate plectendos Syn. Chalced. sanxit Can. VII. Qui semel in Clero deputati sunt, aut Monachorum vitam expetiverunt, statuimus, neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam; sed hoc tentantes, et non agentes penitentiam, quo minus redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegerunt, anathematizari.

(\*\*) XIX. Jure antiquo Clerici propriam deserentia Ecclesiam, Apostata habebantur; unde in ipsis excommunicationis pena infligebatur; ut in Syn. Tolet. I. *Can. XII.* Tolet. II. *Can. II.* Valent. *Can. V.* vel etiam depositionis, et detrusionis in Monasterium, ut in Syn. Hispal. II. *Can. III.* atque etiam in Episcopos, qui eos in se proprio Episcopo suscepissent: Syn. Tolet. II. *eod. Can. II.* Hispal. II. *laud. Can. III.* et Tolet. *XII. Can. XI.* Hodierno tamen jure illi propriè dicuntur Apostatae, qui in Sacris Ordinibus constituti habitu et tonsura dimissis, vel matrimonium contrahunt, vel ad militiam convertuntur. Si quidem amittunt privilegium Canonis: *Cap. 25. de Sent. Excomm.* et si matrimonium contraxerint, eo ipso excommunicati redduntur: *Clement. un. de Consanguin.* et *ad finit.* et fiant

infames, et inhabiles ad Beneficia: *Clement. II. de Vita, et honest. Cleric.* (\*)  
 XX. In Monachos quoque Apostatas variæ poenæ sancitæ sunt; at non tam ex jure communi, quam ex Monachorum, ac Regularium Privilegiis; inter quas potior est. Excommunicatio latæ sententia, cui subjacent non modò ipsi Monachi Apostatae, verùm et qui eosdem recipiunt, occultant, vel defendunt. (\*\*) In Hispania Monachos utriusque sexus, qui abjecto pœnitentium habitu ad sæculum revertabantur, anathematis sententia seriendo voluit Syn. Tolet. IV. Can. LV. alias LIV. et Tolet. VI. Can. VI. ita de Christianorum cœtu eliminandos decrevit, ut nec locutio cum eis ulla esset communis. De eo autem qui Monachum desertorem receptaret, ita Syn. Tolet. XIII. Can. XI. Ut vere sacrilegus, et transgressor institutionis Paternæ, tanto tempore excommunicatum, et remotum se a suis officiis neverit esse, quanto eum, qui fugit, sub sua potestate contigerit remorrasse. (\*)

## ARTICULUS V.

## DE DIVINATIONIBUS.

XXI. Divinationis vocabulum omnes complectitur illicitas vias, et artes manifestandi secreta, aut prænuntiandi futura, que ex nullis naturæ legibus sciri possunt. Ex variis illis illicitis viis, et artibus variæ exoriuntur divinationum species; uti 1. *Astrologia*, sive ars pandendi occulta ex situ, et motu stellarum. Qui hanc artem profitebantur, vulgo dicebantur mathematici; quo nomine æquè apud gentiles, ac apud Christianos Imperatores quam frequenter damnati sunt; gravissimisque pœnis coerciti: ut patet ex *Titulis de Mathemat. et Malef. in utroque Codice.*

2. *Augurium*, cuius itidem variæ species ex diversis modis, quo peragebatur; uti 1. *Haruspiciun*, et *Haruspicina*, quum observabantur signa, et indicia in extis victimarum. 2. Sic strictiori notione dictum *Augurium*, quum ex motu, volatu, vel cantu avium argumenta desumebantur. 3. *Omen*, quum ex voce, vel etiam sternutatione hominum indicia captabantur. 4. *chiromantia*, *metoposcopia*, et *nomantia*, quum scilicet ex manibus, ex vultu, ac fronte, vel ex dorso occultarum rerum manifestationem quis aucuparetur. Quantum Romani hisce Augurii speciebus dediti fuissent, ipsimet profani Scriptores luculentissime tesitantur.

3. *Sortilegium*, sive *Divinatio per sortes*, qua nimurum per sortes inquiritur quid agendum sit, quidve vitandum. Gentiles Sortibus Virgilianis utebantur; scilicet oraculo loco accipiebant versus quoscunque, qui, adrepto temerè Virgili poeta libro, oculis primo se objicerent. Qua ratione Hadrianum imperium sibi prænuntiasse, narrat Spartanus in *Vita Hadriani*. Non defuere antiquitus fideles, qui eodem prorsus pacto sacris bibliis abutebantur; quod *Sacras sortes* vocabant, quodque veteribus Synodis peculiaribus Canonibus damnatum est: *Cone. Agath. Can. XLII. Venetic. Can. XVI. Aurelian. I. Can. XXX. &c.*

Verum pluribus in casibus vetitum non est sortes adhibere; uti in agrorum divinatione, in exercitu ad definiendum, quisnam primus hostem adoriri debeat, tempore persecutionis ad seligendos ex pluribus ministrös, quibus ad gerendam curam plebis in civitate manendum sit; quod probat Augustinus *Ep. CLXXX. ad Honorat.* Porro Sortibus uti legibus Ecclesiæ interdictum est in distribuendis officiis Ecclesiasticis, electionibusque canonicis: *Cap. fin. Tit. de Sortileg.* nisi peculiare habeatur Dei mandatum, uti in electione Matthie factum est, de qua Hier. in *Joan. I.* sic habet: *Non statim debemus sub hoc exemplo sortibus credere, vel illud de Actibus Apostolorum huic testimonio copulare, ubi sorte in Apostolatum Mat-*

thias eligitur: Quum privilegia singulorum non possint facere legem communem.

4. *Divinatio per explicitum pactum cum Satana*; nimurum quum Satanæ ipsum consulenti responsa det, vel 1. per imagines, sive idola, propterea *Oracula* appellata, vel 2. per suos vates, sic dictos *Pythones*, et *Pythonissas*, quasi spiritu fatidico agitatos, vel 3. per somnia, quod *vaticinatio per somnia* vocabatur, vel 4. per spectra, sive visiones mortuorum, quod propriè dictum *vaticinatio per mortuos*, vel 5. per cranium hominis, quod *vaticinatio per cranium* veteres dixerunt, vel denique 6. per signa, vel figuræ factas in terra, in aqua, in aere, in vitro, in igne, aliisque sexcentis fallaciarum modis, de quibus vide Martinum Delrio, aliosque de hoc capite fuse pertractantes. Illud hic dumtaxat observandum, ejusmodi delictum semper in Ecclesia adeo nefandum quam quod maximè fuisse habitum; quippe quod idolatriam, hæresim, incredulitatem, apostasiā, sacrilegium, curiositatem, aliaque crimina, singula per se gravia, aliqua saltem ex parte in se complecti videretur; unde et Canonibus Ecclesiasticis gravissimis censuris, et legibus ci-vilibus pœna capitali punitum: Auctor *Constit. Lib. VIII. cap. 32. Conc. Ancyra. Can. XXIV. Can. VII. Causs. 26. Q. V. Leg. IV. Cod. Theod. de Malef. et Mathem.*

## ARTICULUS VI.

## DE MAGIA.

XXII. Magia superstitionis, quæ propriè à Canonistis *Magia* dicitur, ea est, per quam mira quædam fiunt ope Dæmonis; sicutque à Magia naturali distinguitur, per quam sœpe Philosophi mira efficiunt virtute caussarum naturalium. Superstitiosum illud Magiæ genus Sortilegio oppido adfne est. Unde Jure Canonico æque Sortilegi, ac Magi iisdem plectuntur pœnis, nimurum excommunicatione, et si Clerici fuerint, depositione; uti patet ex pluribus Canonibus, et Decretalibus, quas facile legere est in *Causs. 26. Q. V. et in Tit. de Sortilegiis in Libr. Decretal.*

XXIII. Duo hic tantummodo observare juvat: 1. Consulentes quoque Magos vel Sortilegos in excommunicationem incurront; et si Clerici fuerint, ab honore dignitatis suæ depositi monasterii pœnam subeunt, ibique perpetue pœnitentiae dediti scelus admissi sacrilegii luunt: ita Syn. Tolet. IV. Can. XXIX. alias XXVIII.

2. Astrologi peculiaribus pœnis plectendi ex duabus Pontificiis Bullis, altera quidem Sixti V. qua in Astrologos Ecclesiasticis pœnis animadvertisendum decernitur, etiamsi futuros eventus, quos ex syderibus, et planetarum adspectibus videntur, non certò adfirmare dicant: altera vero Urbani VIII. quæ Astrologos, qui de statu Reip. Christianæ, vel Sedis Apostolice, aut de vita R. Pontificis, aut consanguineorum ejus judicia serunt, vel facta apud se habeant, præter sententiam excommunicationis ipso facto incurriende, tanquam reos læsæ majestatis, ultimo supplicio, publicatione bonorum, et si Clerici fuerint, privatione beneficii, et officiū puniri jubet.

XXIV. Jure quoque Ecclesiastico Neap. variæ pœnae in Sortilegos, et Magos sancitæ sunt. 1. In Constitutionibus Jo. Ursini excommunicatione ipso facto incurrienda statuitur in *veneficos*, *sortilegos*, *divinatores*, tum et in eos, qui ad ipsos accedant, aut auxiliū, consilium, et favorem præstent: *Constit. 4. Eadem pœna declarantur obnoxii omnes dantes, et recipientes chrisma, vel oleum sanctum ad divinationes, veneficia, aut sortilegia: Constit. 5. Tum I. Syn. Prov. Neap. Cap. 7.*

Sortilegos, ipsorumque opera utentes eadem censura, aliisque à sacris Canonibus statutis pœnis, vel etiam arbitrio Episcopi statuendis puniri decrevit. II. quoque Syn. Prov. Neap. Tit. I. cap. 4. excommunicationis sententiæ Ordinario reservatae ipso facto subjacere sanxit non modò sortilegos omnes, et magos cuiuscunq; generis, iisdemque in suis divinationibus, ac maleficiis quibuscunq; cooperantes, aut quovis modò consentientes, verùm et eos, qui aliqua re sacra ad alium usum, quam fuerint ordinata, quomodolibet abutantur. Eadem quoque habet I. Syn. Prov. Mediolan. Partit. I. Constit. X. aliæque Synodi identidem in Italia celebratae.

(\*\*) XXV. Ad Hispanias quantum attinet jure Ecclesiastico Astrologi, augures, incantatores, vanis dediti observantiis, aliqui hujus furfuris homines ana theatis maledictione feriuntur in *Regula Fidei Cathol. Cone. Tolet. I. Cap. XV.* Tum publica, et acerbissima fustigatione puniti, venundari eorumque pretia pauperibus erogari, et ipsorum opera utentes excommunicatione puniri, et sex uncianum puri auri pœna multari jubentur in Syn. Narbon. Cap. XV. Adhæc excommunicatione plectuntur tam hi, quam eos consulentes in Syn. Vallis-olet. an. 1322. Cap. XXV. et Salmant. an. 1335. Cap. XV. Postremò iidem, eisque auxilium præstantes excommunicatione quoque latæ sententiæ, et multa pecuniaria puniuntur; et si scelus iteraverint, duplo majori multa, infamia, et exilio in Syn. Hispal. an. 1512. Cap. V. Clerici verò qui ad magos, vel augures, ut ab eis consilia accipiant, accesserint, ab omni honore deponendos, et in Monasterium detrudendos decrevit Syn. Tolet. IV. Can. XXIX. alias XXVIII. Jure civili incantatores, et magos ducentorum verberum, infamiae, et perpetuae incarcerationis pœna coercendos decrevit Chindasvithus Leg. I. et III. Tit. II. Lib. VI. Fori Judic. sed extremo etiam suppicio puniendos constituit Alphonsus Sap. Leg. III. Tit. XXIII. Partit. VII. atque etiam Joannes Castellæ I. itemque Joannes II. Leg. V. et VI. Tit. III. Lib. VIII. Nov. Recop. Tum et eos consulentes ducentorum verberum, ipsos occultantes exilio pœna damnantur, uti sanxerunt Chindasvithus, et Joannes II. in modo indic. Leg. (\*)

## ARTICULUS VII.

## DE MALEDICTO, SIVE BLASPHEMIA.

XXVI. Blasphemia, sive Maledictum à maledico, scilicet qua Deo ore injuria irrogatur, duplex potissimum distingui potest; scilicet ut alia sit *Enunciativa*, *Imprecativa* alia. Illa est, quum Deo negatur, quod ipsi convenit, uti esse Omnipotentem, Immensem, Justum &c. vel quum ei tribuitur, quod ab ipso alienum est, uti esse crudelē, insipientem, non providum &c. vel demum quum creaturæ, quod proprium Dei est, adscribatur. Hujusmodi blasphemie, quum manifestum errorem arguant, hereticales adpellantur; et hoc nomine blasphemi hereticorum ritu habentur; licet revera heretici non sint, si dictis suis non adsentiantur. Olim gentilibus nihil erat antiquius, quam Christianos ad ejusmodi blasphemias ore promendas adigere: Euseb. Lib. IV. cap. 41. Plinius Lib. X. epist. 97. Ex eodem Eusebio Lib. IV. cap. 15. habemus quod Tyranno Polycarpum in Christum convicia profundere jubenti convictere Christo, hæc illa digna se verba dederit: *Sex, et octoginta continuos annos ei ministravi, nec ulla me unquam adfecit injuria; et quomodo pussum impie loqui adversus Regem meum, auctoremque salutis meæ?*

XXVII. Blasphemia imprecativa est, vel quum quis malum aliquod Deo im-

precatur: uti pereat Deus, lateat Deum &c. vel quum aliquid, licet verū, ira tamen exæstuans, vel conviciantis instar, quis de Deo proferat; quæ *dehomestativa* blasphemia etiam dici consuevit, uti est illud apud Matth. Cap. XXVII. v. 40. *Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud recedificas.* Est quoque Blasphemia in Deiparam Virginem, vel in Sanctos, quæque et ipsa indirectè, ac mediate in Deum redundat; quo intuitu Blasphemia dicitur.

XXVIII. Utrumque blasphemie sive Enunciativa, sive Imprecativa genus atrocissimum apud veteres judicatum esse delictum, tum ex pluribus patet, tum vel maximè ex Synesio, qui quum Andronicum tyrannicum Ptolemaidis præsidem de aliis suis criminibus odmonuissest, ubi tamen audivit ipsum dictitatem neminem unquam de manibus suis eruptum iri, si vel ipsum Christi pedem manibus corriperet, ipsum amplius non admonendum, sed de Ecclesia sollemni rito ejiciendum duxit: *Synesius Ep. 58.*

XXIX. Pœna jure canonico antiquo in blasphemos sancta erat depositio in Clericum, et excommunicatio in laicum; quæ tamen temporis progressu obsolevit: unde jure hodierno arbitria est, scilicet à Judge, quæ ipsi opportunior videatur, imponenda. I. Syn. Prov. Neapol. Cap. 9. de Blasphemia in hunc modum decernit: *Qui palam maledicta, convicia, aut obscena verba in Deum, ac Dominum nostrum J. Chr. vel in ejus Beatissimum Genitricem, vel in aliquem Sanctorum plena veneno mortifero lingua protulerit, is si Clericus fuerit, ad Ordinarii arbitrium fructuum Ecclesiasticorum privatione, et beneficii depositione usque plectatur, juxta Const. Conc. Later. sub Leone X. Quod autem ad laicos attinet, sciant se non impune abituros, sed penit a sacris Canonibus, et Apostolicis Constitutionibus statutis nullatum iri.* (\*\*) Ad rem etiam Syn. Hispal. an. 1512. Cap. XXXVIII. Mandamus, ut nullus blasphemet, nec improperium aliquod profert contra Deum Dominum nostrum, nec contra Virginem gloriosam Sanctam Mariam ejus Matrem Dominam nostram, nec contra aliquem ex Sanctis, sub pœna, quod si fuerit Clericus, incurrat pœnam trium florenorum auri, et quod detrudatur in carcera arbitrio judicis; si vero fuerit laicus, ut ultra pœnas de Jure impositas, Judge Ecclesiasticus contra eum procedat prout de Jure. Porro Jure Decretalium Cap. 2. de Maledicis ita constitutum legimus adversus publicum blasphemum, ut, scilicet septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesie in manifesto, (dum aguntur Missarum solennia) blasphemus existens, ultimo illorum die Dominico pallium, et calceamenta non habeat, ligatus corrigia circa collum, septemque præcedentibus sextis feris in pane jejunet et aqua, Ecclesiam nullatenus ingressurus. Quolibet quoque predictorum dierum tres, si poterit, alioquin duos reficiat pauperes, sive unum. Et si nec ad hoc ejus suppetant facultates, id in pœnam aliam commutent. Quam quidem Gregorii IX. Decretalem expressis verbis servandam jussit Conc. Tarragon. an. 1341. in Collet. Lib. V. Tit. XI. cap. un. Ex Constitutionibus Leonis X. Julii III. et Pii V. blasphemia hereticalis in abjectæ plebis hominibus, flagellatione publica, fræno etiam ori adposito, in nobilibus multa pecuniaria, et detrusione in Monasterium punitur. (\*) Jure quoque civili antiquius pœna in blasphemos constituta, erat ultimum supplicium: Novell. LXXVII. Cap. un. §. 1. *Qui ipsum Deum blasphemant, digni sunt supplicia sustinere.* Et §. 2. *Permanentes in hisce illicitis, et impiis actibus post hanc admonitionem nostram comprehendere, et ultimis subdere suppliciis &c.* Idem quoque juris præscribunt Capitularia Regum Franc. Additione III. cap. 85. In veteri etiam Lege blasphemi lapidibus à multitudine obruebantur: Levit. XXIV.